

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LXXXIII. Tmemata Historica Var.

urn:nbn:de:bsz:31-102564

tamen segruius, quam par erat, necessaria patriae subsidia comparavit, et confutatus Imperii rebus, A. M CC LXXXIII. Kalendis Iuniis, successione Austriae, confectis Reinfelsae tabulis, utriusque filio concessit simul et confirmavit, ea vero lege, ut regimen Austriae inferioris esset ac maneret penes natu maiorem adiectis etiam conditionibus, quae in diplomate leguntur. *Ex eo corrigendi sunt multi scriptores, maxime externi, interdum quoque domestici, et ipse Albertus Argentimensis, a Io. Cuspiniano editus, hoc in loco; uti Rudolphum natu maiorem nominat, mendosus.* Suo quoque auspicio nobilitavit Saxoniam, huius regionis finibus descriptam, et in novo Septemviratu confirmatam, finitimo Brenae Comitatu, ac dignitate Palatina auxit, ut vacante regno, alterum Germaniae Interregem habeat, et publica Vicarii auctoritate perfungatur. Neque eo secius beneficium posuit apud Henricum Illustrem, ad quem Thuringia, et Alstetensis palatii praefectura pervenit. *De quibus confessionibus, ducto in Friderico II. initio, tabulae manuscriptae in curia arcis nostrae asservantur.*

LXXXIII. MEMORATA HISTORICA VAR.



Constantinus M. nullo Aegyptii hominis consilio usus est, cum falli animae consuleret, et Christi sacra profiteretur. *Contra Zosimum hist. lib. II. cap. 29.*

§. II. Neque discessit ab hac sententia, nec deflexit unquam, neque transiit ad divinae veritatis hostes, neque inclinavit in partes Arianorum. *Contra auctorem Chronici, cui praescriptum est Eusebii nomen, ad A. C. 340.*

§. III. Fides ceteroquin Eusebii integra est, et fama auctoritasque insignis, quam scribendi diligentia sibi comparavit, cuius testimonio standum est, cum primis in capite de uno, nec repetito Constantini M. baptismo. *Contra Emmanuelem Scheelstratum.*

§. IV. Athanasius fiducia causae, et pietate sua fretus, capessendi muneris causa Alexandriam rediit, non ambitione, neque audacia excitatus. *Contra Iulianum in epistola atque decreto ad Alexandrinos.* Nihil aequius de Athanasio sensit et scripsit Ammianus Marcellinus, quum ultra professionem alium se extulisse postulatur, *lib. XV.*

§. V. Chrysostomum et Epiphanium non tam aemulatio alienae laudis, quam versutia Theophili inter se commisit. *Quod qui negant, aperte obloquuntur*

quuntur *Socrati H. E. lib. VI. cap. 2. et 3. collatis.* Huc spectat *Zosimus H. E. lib. V. c. 23.* Causa vero, cur histrioniam ei obiecerit *Zosimus*, repetenda est a *Palladio in vit. Chrysofomi p. 48.*

§. VI. Nimis iniquum produnt animum, qui ex omni aetatum memoria in sacrum ordinem, et invictos divinae veritatis testes proterve declamant. Contra *Sophistas* quarti et quinti seculi, maxime contra *Eunapium in AEdesio.* Sed in *Monachos* inertes ipse invehitur *Chrysofomus*, quorsum legatur *Palladius in vita Chrysofomi p. 187.* Eodemque videatur *Zosimus l. V. Cap. cit.*

§. VII. Leo Isaurus nostra sententia non primus confregit imagines et statuas, in templis fanisque collocatas. Contra *Baronium* in *Annal. Eccles.* Nam integro praecessit *Leonem* seculo quidam Galliae Antistes *Serenus*, qui aliquem imaginibus supplicantem conspicatus exarsit, et imagines confregit, ut est apud *Gregorium M. lib. VII. ep. 3.*

§. VIII. Idem iste *Gregorius* secutus est instituta ordinis *Benedictini*, ut *Ioannis Diaconi* auctoritate probamus contra *Baronium d. V. an. 581.*

§. IX. Ut *Primatus Pontificis Romani* est iuris humani, sic *monarchia sacra* per universum nominis *Christiani* orbem iuri divino, et ipsi etiam rationi naturali repugnat. Contra *Rob. Bellarminum lib. II. c. 12. seqq. de Pont. Ro.*

§. X. Non errandi privilegium, atque adeo non fallens, nec dubitationi subiectum de religionis *Christianae* controversiis iudicium, nulli homini, neque ipsimet *Pontifici Rom.* est vindicandum. In quo argumento dissident, qui cum coetu *Romano* sentiunt. *Hispani* *Polonique* *Romanae* sedi addictiores, nimis evehunt atque extendunt potestatem *Ro. Pontificis*, quam arctius cogunt et coarctant *Galli*, et *Veneti.* *V. Edm. Richerius in hist. Concil. general. c. 1. seq. Plus indulget Mich. Nau. in dial. X. de summa Rom. Pont. in universam Ecclesiam auctoritate.* Cuius autem ponderis haec controversia sit, *Bellarminus* fat apertis verbis declaravit in praefat. lib. de *Pontif. Rom.*

§. XI. Nec minoris momenti est illa quaestio, proxime in regno *Angliae* disceptata, inter *Reformatos*, et sacerdotes, qui a sodalitate ordinis *Iesu* appellantur. Vbi *D. Stillingfleet* aperte et palam asseruit, *Dominicanos* in *missa Franciscanorum* fieri *idololatrias.* Contra *Patres* hanc controversiam non ad fundamentum religionis pertinere censuerunt. Perinde ac si inter *fideles* et *idolatrias* religionis quaedam consensus conspiratioque esse possit.

§. XII. Cum sedes *Romana* hodiernos, ut nomen ferunt, *Quietistas* coarguit atque condemnat, tum ipsa contra se ferre sententiam intelligitur, propterea quod eodem iudicio tenentur *Casianus*, *Taulerus*, *Thomas a Kempis*, ut alios taceam complures. Quin imo ne sic quidem se excipere possunt ordines *Monachorum*, quibus, exclusa plebe, *Theologiam mysticam* commendat *Dionysius*, qui dicitur, *Areopagita, in lib. de hierarchia coel. cap. 2.*

§. XIII.

§. XIII. Quantopere Patres, quos praedixi, Regum sanctitati parcant, experientia rerum magistra docet, exemplumque *Ioannis Marianae* confirmat. Equidem isti per omnia ab *Anabaptistarum* grege dissident, et a furente secta abstantur prorsus atque abhorrent, sed in eo plerique Marium et Jugurtham imitantur, quod Reges, qui summae rerum praesunt, non reverenter petunt. Contra quos proceres Britannici solenni iurisiurandi formula se muniunt, conceptisque verbis fidem obligant: *Iuro, quod ex corde abhorreo, atque abiuro, tanquam impiam atque haeticam hanc damnabilem doctrinam et propositionem, quod Principes per Papam excommunicati, possint per suos subditos, vel aliquos alios quoscunque deponi, aut occidi.*

§. XIV. *Labadaeani* affectae cum *Tremulis* non omnino paria faciunt, nec alio loco sunt apud *Reformatos*, quam *Quictistae* apud *Pontificios*.

§. XV. Consensus repetitus *Thologorum* recte sentientium tessera ex praescripto *Conf. Aug.* merito celebratur. Non longa aetas (inverto *Sym-machi* verba idolorum cultui patrocinantis) sed veritas auctoritatem religioni facit: Haec servanda est semper sine labe, haec regula et amussis retinenda constanter sine dubitatione;

LXXXIV. EX IISDEM.

Getae et Gothi minime debent confundi.

§. II. Gothi etiam cis mare, insignem Germaniae magnae tractum incoluerunt, atque hinc longe lateque colonias duxerunt.

§. III. *Svevi Semnonēs*, ultimis Germaniae seculis, usque ad vicinam *Albis* nostri ripam sedes porrectas habuerunt.

§. IV. His emigrantibus *Venedi*, speciatim *Sorabi* successerunt: hos primum *Franci* secundae stirpis: tum *Vitikindei*, postremo *Ascanii Saxones* in ordinem redegerunt.

§. V. *Francia*, regnante *Carolo M.* longius fines suos protulit, et anno *DCCLXII.* *Saxoniam* versus, limitem habuit *Dimolam*, deinde promovit ad *Lupiam*, hinc ad *Visurgim*, tum ultra *Alcim*, usque ad *Eidoram* amnem, *Saxoniae transalbinæ* terminum, inter *Francos Danosque* constitutum.

§. VI. *Saxoniae* ius nomenque a *transalbino* isthoc limite, in has oras traductum est, adeo ut multis abhinc seculis *Sorabia* *Saxonibus* subiecta, desierit esse *Soraborum*.

Yyy yyy

§. VII.